



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Triapostolatus Septemtrionis

Caesar, Philipp

Coloniæ Agrippinæ, 1642

Notæ reales in Vitam S. VVillehadi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43650

Notæ Verbales in appendicem.

52. In fine Decreti Papæ Pascalis, in Anathemate, omiſſa particula, &, omnem ſenſum turbabat, quam idcirco adieci, ſic: & his vel cooperatoribus eorum, intellige laborantes in fide propaganda per Septentrionem.

53. In fine Epistolæ Sergij Papæ ad Hogerum Archi-Epiſcopum Hamburgensem, interiecta est vocula, tu, ſic Sergij Summi Pontificis & vniuerſitatis tu Papæ VIII. Iſtam omiſi, quia omninò redundat, & ſcriptorum mendum eſt.

Notæ reales in Vitam S. VVillehadi:

54. Cap. 1. Sanctum Anſgarium ſcripſiſſe Vitam S. VVillehadi, clarum eſt ex cap. 13. in princ. vbi ipſe ſuum nomen exprimit, & ad vniuerſos per orbem fideles ſcribit

55. Cap. 10 §. *Ædificauit.* Illa ædes, quam ædificauit S. VVillehadus, in hodiernum vſque diem ſalua ſtat: niſi quòd à loci Magiſtrato A catholicis in Lupuli domum mutata eſt, iſt zum hoyffenhaus gemacht / & hac quoque iam voce dicitur; qualis domus antea fuerat inferius ambulacrum in ipſorum Curia, quod etiamnum antiquum nomen apud plebem retinet. Fuit etiam antè ædem hanc inter illam & ſummam Baſilicam, proximè ſtratum publicum, profundus puteus à Sancto Viro constructus; qui ab eo hucusque S. VVille-

VVilleshadi fons seu puteus, S. Willhadis
 Good oder Pils / appellatur: hic à multis cre-
 ditus est, experimentis quoque compertus,
 febres aliosque morbos aquæ suæ potione
 miraculosè curare, quod famâ istic loci ad-
 huc vulgatissimum est; & ego noui aliquem,
 qui eius aquæ haustu liberaliore à vehemen-
 tissimâ & tantùm non lethali febre continuâ
 causticâ subito conualuit.

56. Cap. 11. in fin. & 12. post princ. dicitur,
 quòd S. VVilleshadus sepultus sit in ea Basili-
 ca, quam ipse ædificauerat, & postea trans-
 latus in alteram Basilicam temporibus suc-
 cessoris VVillerici Episcopi: Adamus autem
 Bremensis Canonicus ait; S. Ansgarium trās-
 tulisse Corpus S. VVilleshadi in matricem Ec-
 clesiam B. Petri Apostoli ab illo Australi O-
 ratorio, quò deportatum erat à VVillerico,
 citante Baron. ad ann. Chr. 858. num. 16 vide
 etiam Crantz. Metropol. lib. 1. c. 41. Ipse S.
 Ansgarius ait in fin. miraculorum S. VVille-
 hadi: Se Corpus S. VVilleshadi, quod iam
 tunc à loco requietionis suæ in alteram trans-
 latum fuerat Basilicam, in nouâ quam tunc
 dedicabat, collocâsse Basilicâ. Hic sciendum,
 S. VVilleshadum ædificasse ligneam Basili-
 cam, quam VVillericus lapideam fecit, & i-
 dedò Corpus S. VVilleshadi in Australe illud
 Oratorium, quod fecerat, transtulit: vnde S.
 Ansgarius illud retulit in Summam illam &
 lapideam Basilicam, quæ hæctenus indedicata
 fuerat,

fuerat, & ipse dedicauit, vide Adamum, Crantzium, Durium, & vitam S. VVillehadi cap. 21.

57. Cap. 14. notatur tempus quo S. VVillehadi miracula illa post mortem eius inceperint, annus Christi 860. Adamus autem Bremensis loco prius citato ponit annum 861. Quæ quidem parum differunt: sed cum reprehendat Baronius Crantzium, quòd annū Consecrationis S. Ansgarij, in Archi-Episcopum, teste Adamo Bremensi, 862. produxerit vno anno in 863. & ex eâ causâ reprehendat, quia dicti Autoris (Adami) antiquitas præferatur, quâ ille sibi fidem maiorem conciliet; cur non & nos S. Ansgarium tanquam Vitæ & Miraculorum S. VVillehadi Autorem ab antiquitate & *autoflav* Adamo præferamus. Vid. Baron. ad ann. 832. num 7. in fin.

58. Cap. 17. mirac. 10 Confirmatur, quòd Baronius ad ann. Christi 858. num. 16. ex Adamo Bremensi citat: Si temporum, inquit, seriem diligenter computemus, ipsum est tempus, quo in Saxoniam translatus S. Alexandri contigit. Ipsum scilicet tempus, quando post translationem Corporis S. VVillehadi in summam Basilicam miracula frequentia fieri incipiebant: inter quæ & huius S. Alexandri mentio est. Quis autem hic S. Alexander fuerit, vnde, a quo, quò, & cuius autoritate translatus sit, vid. Baron. ad ann. Chr. 855. num. 28.

Nota